

Breve Sr. Heiligkeit Papst Pius IX.

über die Erhebung des h. Franz von Sales zum Kirchenlehrer.

Wir haben im 4. Hefte des vorigen Jahres S. 696 ff. das Dekret der h. Congregation der Riten mitgetheilt, wonach Pius IX. den Antrag der genannten Congregation vom 7. Juli 1877 auf Erhebung des h. Franz von Sales zum Doctor Ecclesiae am 19. desselben Monates bestätigt und das gedachte Decretum Urbis et Orbis auszufertigen befohlen hat. Offenbar hat die gerade in jene Tage fallende Feier des fünfzigjährigen Bischofsjubiläums den h. Vater abgehalten, selbst über diesen ihm theuren Gegenstand ein Ausschreiben zu erlassen. Am 16. November v. J. aber hat er es in der feierlichsten Weise nachgeholt, und wir theilen nachstehend dieses Breve mit. Es war die Erhebung des liebenswürdigen Heiligen zum Kirchenlehrer, der letzte unter den vielen Acten, wodurch Pius IX. die katholische Wahrheit verherrlicht, die Heiligen geehrt, die Frömmigkeit befördert hat. In welch' engem Zusammenhange die Erhebung des h. Alphons v. Ligouri und des h. Franz v. Sales zu Kirchenlehrern zu dem Wirken des großen Papstes steht, leuchtet durch sich selbst ein.

Im folgenden 3. Hefte der Quartalschrift sollen die großen Verdienste und die erhabene Bedeutung des h. Franz von Sales in der Reihe der h. Kirchenlehrer richtig, genau und vollständig gewürdigt werden.

Pius PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dives in misericordia Deus, qui Ecclesiae suae in hoc mundo militanti nunquam defuit, at juxta varias rerum ac temporum vicissitudines opportuna sapienter praesidia subministrat, cum saeculo XVI. christianas gentes in virga furoris sui visitaret, pluresque Europae provincias grassantium late haeresum tenebris obrui permetteret, haud volens plebem suam repellere, nova sanctorum virorum lumina provide excitavit, quorum splendore collustrati Ecclesiae filii in veritate confirmarentur, ipsique praevaricatores ad illius amorem suaviter reducerentur. E quorum clarissimorum hominum numero Franciscus Salesius Episcopus Genevensis, inclytæ sanctitatis exemplar, et verae piaequae doctrinae magister extitit, qui, nedum voce, sed et scriptis immortalibus insurgentium errorum monstra confodit, fidem asseruit, vitiis eversis mores emendavit, cunctis pervium coelum ostendit. Qua praeexcellenti sapientia eam laudem assecutus est, qua veteres illos ac praecipuos Ecclesiae Dei doctores praestitisse sa: mem: Bonifacius VIII. Praedecessor Noster declaravit (Cap. Un. de rel. et ven. Sanctorum in 6.); qui scilicet „per salutaria documenta

illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, et moribus informarunt“, quosque descripsit „quasi luminosas ardentesque lucernas super candelabrum in Domo Dei positas, errorum tenebris pro-
fugatis, totius corpus Ecclesiae, tamquam sidus matutinum „irra-
diantes“ scripturarum reserantes aenigmata, ac profundis et decoris
sermonibus ipsius Ecclesiae fabricam, veluti gemmis vernantibus“
illustrantes. Hoc sane elogium ad Genevensem Episcopum perti-
nere, vel eo adhuc vivente, maxime vero post eius obitum, fama
percelebris testata est, et ipsa scriptorum ab eo relictorum sin-
gularis eminentia invicto plane argumento demonstrat. Enimvero
magno in pretio Francisci doctrinam, dum in vivis ageret, habi-
tam esse, vel ex eo colligere licet, quod e tot strenuis veritatis
catholicae defensoribus, qui eo tempore florebant, unum Geneven-
sem Praesulem sa: mem: Clemens VIII. Praedecessor Noster
elegerit, quem adire juberet Theodorum Bezam Calvinianae pestis
propugnatorem acerrimum, et cum eo solo solum agere, ut, illa
ove ad ovile Christi revocata, plures alias reduceret. Quod munus
adeo eximie Franciscus, non sine vitae suae periculo, implevit,
ut haereticus homo ex merito confutatus veritatem fassus sit, licet
ex scelere, arcano Dei judicio, indignus extiterit, qui ad Eccle-
siae sinum rediret. Nec minori plane aestimatione sanctum Epis-
copum gavisum fuisse exinde constat, quod sa: me: Paulus V.
Praedecessor Noster, dum celebris disceptatio „de auxiliis“ Ro-
mae ageretur, sancti huius Praesulis sententiam ea super re ex-
quiri voluerit, eiusque consilio obsecutus, subtilissimam, ac peri-
culi plenam quaestionem diu acriusque exagitata, indicto parti-
bus silentio, consopendam judicaverit. Quin imo, si ipsae episto-
lae ab eo ad plurimos scriptae considerentur, cuique compertum
erit, Franciscum ad instar gravissimorum inter veteres Ecclesiae
Patres, a compluribus, de iis, quae ad Catholicam fidem expli-
candam, tuendamque, quaestiones ea de re enucleandae ac vitam
ad Christianos mores componendam pertinerent, rogatum saepe
fuisse; ipsumque, multa persecutum copiosissime ac docte, apud
Romanos Pontifices, apud Principes, apud magistratus, apud sa-
cerdotes cooperatores suos in sacro ministerio, adeo valuisse, ut
eius studio, hortationibus, monitis, consilia saepe inita fuerint,
quibus regiones ab haeretica lue purgarentur, Catholicus cultus
restitueretur, religio amplificaretur. Haec praecellens doctrinae
opinio post illius obitum imminuta non est, imo vehementer aucta;
virique ex omni ordine clarissimi, ipsique Summi Pontifices, emi-
nentem illius scientiam magnis laudibus extulerunt. Equidem sa:
me: Alexander VII. in Bulla Canonizationis (XIII. Kalendas Majas
MDCLXV.) Franciscum Salesium, doctrina celebrem, sanctitate
admirabilem praedicavit, aetatique suae contra haereses medica-

men, praesidiumque; ita ut scriptorum illius documentis irrigata populorum ac virorum nobilium pectora affluentem evangelicae vitae messem peperisse affirmet. Quibus plane congruit, quod in Consistoriali allocutione ante Canonizationem habita, complexus est, Salesium scilicet „docendo omnes, tum doctrinae salubris verbo, tum vitae innocentis exemplo“ multa in Ecclesiae bonum praestitisse, eiusque adhuc magnam partem superesse „ope monitorum, et evangelicae disciplinae documentorum, quae libris consignata, fidelium manibus terebantur.“ Nec ab his aliena sunt, quae in literis datis ad Moniales Visitationis Monasterii Anneciensis V. Kalendas Augusti An. MDCLXVI aiebat, virtutem nimirum, ac sapientiam illius „Christianum Orbem universum late perfundere“; inelyta eius promerita „doctrinamque plane divinam“ se admiratum, eum elegisse, quem „praecipuum vitae ducem, ac magistrum sequeretur.“ Quod quidem magisterium sa: mem: Clementi IX. Praedecessori Nostro eiusmodi visum est, ut et antequam Pontifex esset, de Salesio asseruerit „praeclearissimis voluminibus pium quodammodo armamentarium animarum beneficio condidisse“, et Pontificatum adeptus antiphonam in illius honorem probaverit, in ea verba, „Replevit Sanctum Franciscum Dominus Spiritu intelligentiae et ipse fluentia doctrinae ministravit populo Dei.“ Suis vero antecessoribus concinens Benedictus XIV. sa: mem: libros Genevensis Praesulis scientia divinitus acquisita scriptos affirmare non dubitavit, illius auctoritate usus difficiles quaestiones solvit, „sapientissimum animarum rectorem“ appellavit. (Const. „Pastoralis curae“ V. Augusti MDCCXLI.) Itaque mirandum minime est plurimos, qui ingenii, ac doctrinae laude florent, academiarum doctores, oratores summos, jurisconsultos, theologos insignes, et vel ipsos principes virum hunc vere magnum ac doctissimum ad haec usque tempora praedicasse: multos vero, ut magistrum, fuisse secutos, atque ex eius libris plura in sua scripta derivasse.

Porro haec universalis persuasio, de excellenti Salesii scientia, ex qualitate ipsa doctrinae ipsius exoritur, quae nimirum in sublimi sanctitatis culmine ita in eo supereminet, ut Doctoris Ecclesiae tota propria sit, virumque hunc inter praecipuos magistros sponsae suae a Christo Domino datos, accensendum suadeat. Quamvis enim Sanctos Doctores, qui primis Ecclesiae saeculis floruerunt, antiquitas ipsa spectatos faciat, latinique aut graeci sermonis, quo libros ediderunt, in iis ornamentum accedat, id tamen potissimum, ac plane necessarium (quod supra monuimus) huic magisterio est, ut in scriptis diffusa ultra communem modum doctrina coelestis appareat, quae argumentorum copia, et varietate, splendoribus veluti circumamicta, totum Ecclesiae

corpus nova luce perfundat, sitque fidelibus in salutem. Haec itaque laudum praeconia Genevensis Episcopi libris apprimè conveniunt. Sive enim quae de rebus asceticis ad christianam vitam sancte, pieque ducendam, sive quae de controversiis ad fidem tuendam, et haereticos refutandos, sive quae de divini verbi praedicatione scripsit, considerentur, nemo est qui non videat, quanta per sanctissimum virum emolumenta sint in Catholicum populum invecta. Equidem duodecim libris insignem, atque incomparabilem tractatum „de amore Dei“ docte, subtiliter, dilucideque complexus est, qui tot praecones de suavitate sui auctoris habet, quot lectores. Maxime autem vivis coloribus virtutem, alio opere, quod „Philothea“ inscribitur, pinxit; ac prava sternens in directa, et aspera in vias planas, universis Christifidelibus iter ad eam ita facile commonstravit, ut vera exinde pietas lucem suam ubique effunderet, viam sibi ad Regum solia, ad Ducum tentoria, ad judiciorum forum, telonia, officinas, et ipsa oppidula pastorum aperiret. Enimvero iis scriptis ex sacra doctrina summa scientiae sanctorum principia eruit, et ita enucleat, ut insigne ipsius privilegium plane visum sit, quod ad omnes fidelium condiciones sapienter, leniterque eandem accomodare noverit. Huc accedunt tractatus de rebus ad magisterium pietatis spectantibus, ipsaeque constitutiones, sapientia, discretionem, ac suavitatem conspicuae, quas pro Sanctimonialibus Ordinis Visitationis Beatae Mariae ab eo constituti scripsit. Uberrimam etiam rei asceticae segetem epistolae ipsius ad plurimos datae suppeditant, in quibus illud plane mirabile est, quod Spiritu Dei plenus, et ad ipsum suavitatis auctorem accedens, devoti cultus erga Sacratissimum Cor Jesu semina miserit, quem in hac nostra temporum acerbitate maximo pietatis incremento mirifice propagatum, summa cum animi Nostri exultatione conspicimus. Nec praetereundum est, in his lucubrationibus, ac praesertim in interpretatione Cantici Canticorum, plura scripturarum aenigmata, quae ad morales, et anagogicos sensus pertinent, reserari, enodari difficultates, obscura nova luce perfundi, quibus licet inferre, Deum, coelestis sui irrigui gratia influente, sancto huic viro sensum aperuisse, ut intelligeret scripturas, easque pervias doctis indoctisque redderet. Porro ad retundendam haereticorum sui temporis pervicaciam, confirmandosque Catholicos, non minus feliciter, ac de asceticis rebus „Controversiarum“ librum, in quo plena Catholicae fidei demonstratio est, aliosque tractatus, concionesque de veritatibus fidei, itemque „Vexillum Crucis“ conscripsit, quibus adeo strenue, pro Ecclesiae causa certavit, ut innumeram perditorum hominum multitudinem ad eius sinum reduxerit, fidem in tota Caballiacensium provincia, longe lateque restituerit. Imprimis auctoritatem huius Apostolicae Sedis,

ac Romani Pontificis Beati Petri successoris propugnavit, ac ipsius Primatus vim ac rationem, ea perspicuitate explicavit, ut Vaticani Oecumenici Concilii definitionibus feliciter praeluserit. Certe, quae de infallibilitate Romani Pontificis, in quadagesimo sermone, „Controversiarum“ asserit, cuius autographum, dum in Concilio res ageretur, detectum est, eiusmodi sunt, quae nonnullos Patres tunc ea super re adhuc ancipites, ad definitionem decernendam, veluti manu duxerint. Ex tanto Sancti Praesulis in Ecclesiam amore, et eius defendendae studio, ea ratio enata est, quam in divini verbi praeconio adhibuit, sive ad Christianam plebem in elementis fidei erudiendam, sive ad mores doctiorum informandos, sive ad fideles omnes ad perfectionis culmen deducendos. Etenim se debitorem agnoscens sapientibus, et insipientibus, omnibus omnia factus, simplices, et agrestes homines in simplicitate sermonis docere curavit, inter sapientes vero locutus est sapientiam. Qua super re, et prudentissima praecepta tradidit, idque assecutus est, ut sacrae eloquentiae dignitas temporum vitio collapsa, ad antiquum splendorem proposito Sanctorum Patrum exemplo revocaretur; atque ii disertissimi oratores ex hac schola prodierint, a quibus uberrimi fructus in universam Ecclesiam redundarunt. Itaque sacrae eloquentiae instaurator, ac magister ab omnibus habitus est. Denique coelestis eius doctrina, veluti aquae vivae flumen, irrigando Ecclesiae agro, adeo utiliter populo Dei fluxit ad salutem, ut verissima appareant, quae sa: mem: Clemens VIII. Praedecessor Noster, Salesio, cum ad Episcopalem dignitatem eveheretur, veluti divinus dixerat, iis proverbiorum verbis adhibitis: „Vade fili, et bibe, aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui; deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.“

Has itaque salutis aquas haurientes cum gaudio fideles, eminentem Genevensis Episcopi scientiam suspexerunt, eumque magisterio Ecclesiae dignum ad haec usque tempora existimarunt. Enimvero his causis adducti, plurimi ex Vaticani Concilii Patribus, Nos, enixis votis, communi voce rogarunt, ut Sanctum Franciscum Salesium Doctoris titulo decoraremus. Quae quidem vota, et Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinales, et plures ex toto orbe Antistites, ingeminarunt; iis vero plura Canonicorum Collegia, magnorum Lycaeorum Doctores, scientiarum Academiae, augusti Principes, ac nobiles procures, ingens denique fidelium multitudo suis supplicationibus accesserunt. Nos itaque tot tantisque precibus obsecundare lubenti animo volentes, gravissimum negotium, ut moris est, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium sacris Ritibus tuendis praepositorum examinandum remisimus. Jamvero dicta Venerabi-

lium Fratrum Nostrorum Congregatio in ordinariis comitiis ad Nostras Vaticanas aedes die VII. Julii labentis anni habitis, audita relatione Venerabilis Fratris Nostri Cardinalis Aloisii Bilio Episcopi Sabinensis, eiusque Sacrae Congregationis tunc Praefecti, et causae Ponentis, mature perpensis animadversionibus Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris, nec non Patroni causae responsis, post accuratissimum examen, unanimi consensu rescribendum censuit „Consulendum Sanctissimo pro concessione, seu declaratione, et extensione ad Universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem Sancti Francisci De Sales, cum officio, et Missa de communi Doctorum Pontificum, retenta oratione propria, et lectionibus secundi nocturni.“ Quod Rescriptum, Nos, edito generali Decreto Urbis et Orbis die XIX mensis, et anni eiusdem, approbavimus. Item novis porrectis precibus, ut aliqua additio fieret, tum in Martyrologio Romano, tum in sexta lectione in festo S. Francisci Salesii, utque concessionem omnes hac super re factae Nostris Literis Apostolicis in forma Brevis confirmarentur; eadem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium Congregatio, in ordinariis Comitiis die XV. Septembris anni eiusdem habitis, rescripsit „Pro gratia, ac supplicandum Sanctissimo pro expeditione Brevis.“ Addi vero censuerunt ad elogium Martyrologii Romani post verba „Annecium translatum fuit“ haec alia „Quem Pius IX. ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit“; ad lectionem vero sextam post verba „Vigesima nona Januarii“ adjungi sequentia „et a Summo Pontifice Pio IX. ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctor fuit declaratus.“ Et hoc quoque Rescriptum memoratae Congregationis die XX. dicti mensis et anni ratum habuimus et confirmavimus, atque ut super concessionibus omnibus, hac de re factis, Apostolicae Literae expedirentur, mandavimus.

Quae cum ita sint, supradictorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium, Antistitem, Collegiorum, Academicarum, ac fidelium votis obsecuti, deque consilio memoratae Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium Congregationis sacris Ritibus cognoscendis praepositae, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum Doctoris in honorem Sancti Francisci Salesii Genevensis Episcopi ac Ordinis Sanctimonialium Beatae Mariae V. Visitationis Institutoris confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo ei tribuimus, impertimus, ita ut in universali Catholica Ecclesia, semper ipse Doctor habeatur, atque in die festo anniversario, cum a saeculari, tum a regulari Clero, celebrando Officium et Missam juxta memoratum sacrorum Rituum Congregationis Decretum fiat, Praeterea eiusdem Doctoris libros,

commentaria, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed et publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus aliisque ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari, proferri, et prout res postulaverit adhiberi decernimus. Ut vero fidelium pietati in huius Doctoris die festo rite colendo, eiusque ope imploranda, excitatione adjiciantur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo eiusdem Sancti Doctoris, aut uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, uniuscujusque Christifidelis arbitrio sibi deligendo, vere poenitentes, et confessi, Sanctissimam Eucharistiam sumpserint, et quamlibet ex Ecclesiis Ordinis Sanctimonialium Visitationis Beatae Mariae Virginis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Quapropter universis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis, per Universum terrarum Orbem constitutis, per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis saecularibus, et quorumvis ordinum regularibus, ubique locorum et gentium, inviolabiliter, et perpetuo observari procurent. Haec praecipimus, et mandamus, non obstantibus Apostolicis, ac in Oecumenicis, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si fuerint exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVI. Novembris MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri anno Trigesimosecundo.

F. Card. Asquinius.